

angeli mali. Unde Interpres latinus, apprime perspetum habens, quod illud *malorum* haberet vim adjectivi, vertit: *Angelos malos*.

Obj. II. Infra cap. XII, 23, pro *non sinet*, hebraice est *non dabit*. Id est Deus hæc omnia ordinans et præscribens angelo, præcipiet illi ut Ægyptios feriat, vestras autem domos, o Hebræi, pertranseat: itaque non dabit illi potestatem vos ledendi; ergo non sequitur angelum hunc voluisse ledere Hebræos, sed tantum cum non accepisse a Deo ordinationem illos ledendi. Ita ex Cajetano ratiocinatur A Lapide, qui et addit, inter Hebræos fuisse aliquos impura et improbae vitæ, quos angelus bonus juste ferire potuisset et voluisset, si Deus permisisset.

R. Neg. cons.; nam si Deus præceperit angelo percutienti, ut domos Hebræorum pertransiret, videtur revera voluisse ledere Hebræos, alias enim frustra neum fuisset istud præceptum. Cum igitur angeli mali, tametsi hominibus, et maxime populo Dei, semper nocere intendant; tamen plus nocere non valeant, quam Deus ipsis permittit: sequitur quod propterea angelus malus non potuerit ledere Hebræos, quia Deus nullam ipsi ad hoc potestatem dedit, id est, non permisit. Et sic interpres latinus illud hebraicum: *Non dabit*, recte in latinum transtulit, vertendo: *Non sinet*; nam istam phrasim aliquando hoc sensu in Scriptura accipi, patet ex psal. XV: *Nec dabis* (id est *non sinet* seu *non permittes*) *sanctum tuum videre corruptionem*. Item ex psal. LV: *Non dabit in æternum fluctuationem justo*. Ubi *dare* rursus pro *permittere* dictum est.

Ad id autem, quod additur, nempe inter Hebræos fuisse aliquos ita improbos, quos etiam angelus bonus ledere voluisset, respondeo id a vero prorsus alienum videri: quia cum angeli boni ad protectionem et custodiam hominum sint destinati, semper eos (quantumvis pessimos) protegere, et ab ira Dei liberare conantur, nec unquam eis nocent, nisi Deus hoc ipsis præcipiat.

Obj. III. Quando Deus in generali aliqua punitione malorum vult protegere electos suos, non solet uti nisi ministerio honorum angelorum: sic enim contigit in subversione Sodomæ, ubi salvatus est Lot, Gen. XIX: atqui cædes primogenitorum facta est in protectionem et liberationem Hebræorum, populi a Deo specialiter electi; ergo, etc.

R. Deum quidem in similibus casibus sæpe uti ministerio honorum angelorum, at non semper: nam Tobia III, 8, volens Deus protegere Saram, ne violaretur a septem viris, quibus tradita fuerat, eosdem non per angelum bonum, sed per dæmonium nomine Asmodæum occidit. Ac proinde nihil vetat, quominus etiam per angelum malum occiderit primogenitos Ægyptiorum; tametsi hæc cædes facta sit in protectionem et liberationem Hebræorum.

Obj. IV. Reliquæ plagæ illatæ fuerunt per angelum bonum; ergo et per eundem illata videtur cædes primogenitorum.

R. Neg. conseq. Disparitas est quod in reliquis

plagis Moyses et Deus per miracula quodammodo certarent cum magis et dæmonibus, ut iude Pharaonosceret Deum Hebræorum esse unicm et verum Deum, et consequenter quod ejus mandato de dimittendo populo obtemperare deberet. Cum igitur in prioribus plagis Deus manifestarit suam virtutem, ut destrueret opera dæmonis, certe ejus opera non utebatur. At in postrema plaga nec Moyses cum magis, nec Deus cum dæmonibus per miracula certare voluit, ut per ea demonstraretur sua omnipotentia, et eorum imbecillitas; sed, cum videret quod Pharaon per novem priores plagas nequaquam flecti vellet, ut populum hebræum dimitteret, hanc ultimam plagam immisit, ut strage tot primogenitorum percussus, saltem ex timore humano dimitteret, quos ex timore et mandato divino, per Moysen ipsi sapius intumato, et per miracula confirmato, hactenus dimittere renuebat. Ac proinde aequè per angelum malum, ac per bonum cædem primogenitorum exequi potuit Deus.

Obj. V. Angelus qui percussit primogenitos Ægyptiorum representabat personam ipsius Dei; atqui soli angeli boni, nomine Dei apparentes, representant personam Dei; ergo, etc.

Prob. maj. Quia cap. XI, 4, dicitur Deus media nocte egressurus in Ægyptum: et cap. XII, 29, dicitur quod in noctis medio Dominus percusserit omne primogenitum in terra Ægypti. Ergo percussor ille representabat personam Dei: nam alias non posset verificari, quod Deus percusserit primogenitos.

R. Neg. maj. et ad id quod ex cap. XI objicitur dico, quod Deus sit egressus in Ægyptum per suam operationem; nam egressio Dei in Scriptura pro illius operatione poni solet: unde *egressus ejus intelligitur, cum apparet in operibus suis*, ait S. P. Aug. in psal. LXVII. Ad hoc vero quod ex cap. XII objectum est, respondeo, quod quidem percusserit Dominus Deus primogenitos Ægyptiorum, sed tantum mediantibus angelis malis: nam quod Dominus, de quo ibidem agitur, non fuerit immediatus percussor, patet ex y. 23, ubi dicit Moyses: *Transibit Dominus percutiens Ægyptios; cumque viderit sanguinem in superliminari et in utraque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et ledere*. Alius ergo erat immediatus percussor, alius Dominus de quo ibidem sermo est. Nego igitur utramque illationem, ac dico quod, quemadmodum IV Reg., XXII, dicitur Deus mala illaturus super terram Juda, quia hoc facturus erat per Nabuchodonosorem (hominem pessimum et idololatram), ita pariter dicatur egressus in Ægyptum, percussisse primogenitos, quia opus suum, seu hanc plagam per angelum malum inflixit, eoque, tanquam instrumento operi suo percommo, usus fuit. Ex dictis

Collige omnino infundatam esse opinionem eorum, qui contendunt, immediatum percussorem primogenitorum fuisse ipsummet Filium Dei: cum enim Filius Dei sit verus Deus, in isto supposito immediatus percussor non fuisset distinctus a percutiente Deo; a quo tamen immediatum percussorem distinctum fuisse,

ex jam præcit. verbis prorsus clarum ac evidens est.

Inst. Lib. Sap. cap. XVIII de cæde primogenitorum ita loquitur Sapiens: *Cum quietum silentium contineant omnia, et nox in suo cursu medium iter habet, omnipotens sermo tuus de caelo a regalibus sedibus..... prosilivit..... et stans replevit omnia morte, et usque ad caelum attingebat stans in terra*. Atqui his verbis non angelus aliquis et minister inferior designatur, sed persona divina: verbum enim, seu sermo de quo agitur, vocatur omnipotens, regia ipsi sedes attribuitur in caelis, eaque est ejus magnitudo et potentia, ut vim suam in caelo et in terris exercent: ergo. Ita ratiocinatur continuator Tournely, cap. 4 de Legibus, sect. 3.

R. Tametsi per omnipotentem sermonem videatur intelligendus Filius Dei, tum propter rationes in argumento allatas, tum etiam quia de Filio Dei hoc intelligit Ecclesia in officio dominicæ infra octavam Nativitatis; tamen inde nequaquam sequitur, quod Filius Dei fuerit immediatus percussor primogenitorum: nam verba objecta nihil aliud important, quam quod Verbum a regio iudicii divini throno descenderit, ubi hoc mature conclusum erat. Descendit autem non loci migratione, quia, ut sequitur, stans in terra, caelum attingebat, sua scilicet immensitate caelum et terram implens; sed nova terribilium effectuum operatione: hos autem effectus non immediate per se ipsum, sed per malos angelos (tanquam divinæ justitiæ instrumenta) executum fuisse, ex supra dictis satis constat.

P. 1, an plures, an vero tantum unus fuerit angelus percutiens.

Respondet Abulensis, fuisse plures; et id probat ex verbis psal. LXXVII sup. cit., item ex eo quod ista percussio facta fuerit in tota Ægypto quasi media nocte, et eodem instanti morali. Jam autem idem angelus non poterat eodem instanti esse in tota Ægypto, ibique tantam stragem tam discrete operari: secus fuit in exercitu Sennacherib, in quo, utpote conjuncto, unus angelus una nocte occidit 185 millia, IV Reg., XIX.

Nec refert, quod infra cap. XII, 23, unus tantum nominetur percussor; quia licet a parte rei essent plures, tamen non erant simul percutientes, scilicet quod ambo pereuterent in eadem domo: nec etiam in eadem civitate videntur fuisse multi percussores, sed unus; et ideo Moyses dicit, quod Deus non esset permittens percussorem intrare domos Hebræorum: nam etsi hoc permisisset, tamen non intrassent percussores, sed percussor. Ita Abulensis.

P. 2, quanto tempore decem plagæ ægyptiæ duraverint.

R. Hebræi in Chronologia majori (sive ut alii citant in Seder-Olam) tradunt eas durasse integro anno. Hæc opinio non videtur posse combinari cum annis ætatis et vitæ Moysis; siquidem hic dum stetit coram Pharaone, et antequam inciperent plagæ, compleverat annum 80; ut constat hic ex cap. VII, 7, et adhuc clarius ex Act. VII, 23 et 30, inter se collatis. Certum est autem ulterius, quod cum populo in deserto fuerit

40 annis. Jam vero moriens tantum habebat annos 120, Deut. XXXIV, 7: ergo non videntur istæ plagæ durasse integro anno: nam si tanto tempore durassent, Moyses moriens non 120, sed 121 annos habuisset. Verius igitur est, quod censent Torniellus, A Lapide et alii, scilicet præfatas plagas durasse circiter uno mense, ita ut in ultima medietate mensis Adar inceperint, et in prima medietate mensis Nisan finierint; siquidem tunc Hebræi exiverunt Ægypto; ut liquet ex cap. XII.

CAPUT XII

Agni paschalis ritu declarato ac celebrato, ejusque sanguine domorum superliminibus illinitis, cæduntur omnia primogenita Ægypti, intactis ubique Hebræis, qui ex Ægypto egredi compulsi, secum deserunt spolia et opes Ægyptiorum.

QUESTIO PRIMA. — QUOMODO APUD HEBRÆOS DIFFERAT ANNUS SACER A COMMUNI SEU VULGARI, ET UNDE MENSURUM NOMINA IPSI ACCEPERINT.

Vers. 1: *Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron, aliquot diebus ante exitum ex Ægypto, seu ante 15 diem mensis, imo et ante 10, cujus hic fit mentio y. 3: opus enim erat tempore, ut hæc, quæ de agno paschali præscribuntur, promulgarentur, et omnes Judæi confluerent in terram Gessen, et ad Pascha omnia pararent.*

y. 2: *Mensis iste* (quo scilicet egrediemini) *vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*. Hic mensis primus vocatur Hebræis *Nisan*, secundus *Ijar* sive *Zio*, tertius *Sivan*, quartus *Tammuz*, quintus *Ab*, sextus *Elul*, septimus *Tisri*, octavus *Marchesuan*, item *Bul* et *Hesban*; nonus *Casleu* vel *Cisleu*; decimus *Tebet*, undecimus *Sebat*, duodecimus *Adar*.

Nota quod initium hujus primi mensis, scilicet *Nisan*, sicut et cæterorum, non habeat statum anni solaris diem; sed ille primus est, cujus plenilunium seu luna 14 incidit in æquinoctium vernum (id est 21 nostri martii, quando sol lunæ oppositus est in ariete), vel post ipsum proxime sequitur.

Cum autem menses lunares, quibus Judæi utebantur, seu innovationes lunæ non correspondeant mensibus nostris, sed novilunium incidere possit in quemlibet mensis diem; hinc quoque fit, ut nullus mensium assignari queat, cui *Nisan* accurate respondeat. Unde falluntur qui dicunt *Nisan* respondere martio, cum impossibile sit eum cum martio incipere: ut plurimum quidem partim cum martio, partim cum aprili concurrat; sæpe tamen maxima pars ejus, vel totus est intra aprillem: et idem cum proportione cæteris mensibus applicari debet.

Dico 1. Distinguitur hic annus sacer a communi seu vulgari: sacer enim, secundum quem festa judaica computabantur, incipiebat a *Nisan*, idque in memoriam liberationis ex Ægypto; annus vero communis, seu vulgaris, incipiebat a *Tisri*, serviebatque jubileo; ut patet ex Lev. XXV, 9 et 10: item negotiis et contractibus sæcularibus, v. g., nundina-

tionibus, elocationibus, etc., ut dicit Josephus lib. I Antiq., cap. 4.

Observe secundum statim dicta, quod sicuti *Nisan* accurate non respondet nostro martio, sic mensis ille celebris *Tisri*, qui est septimus a *Nisan*, non respondeat septembri complete; sed partim septembri, partim octobri, et sæpe maxima ex parte, vel totus octobri.

Dico 2. Præfata mensium nomina *Nisan*, *Ijar*, etc., non sunt hebræa, sed chaldæa, quæ Hebræi a Chaldæis, Persis aut Babylonis acceperunt in captivitate babylonica: unde non nisi in libris post captivitatem scriptis, puta in Zacharia, Esther et Machabæis reperiuntur; nam antea vocabantur ordine naturali: *mensis primus, secundus, tertius*, etc., incipiendo scilicet a *Nisan*.

P. quot diebus constet mensis lunaris, et quanto brevior sit annus lunaris solari.

R. Mensis lunaris constat 29 diebus et 12 insuper horis, quæ 12 horæ alternis mensibus junguntur, ut conficiatur integer dies; et sic alternatim numerantur 29 aut 30 dies. Hinc fit, ut unus annus lunaris constans 12 lunationibus sive mensibus, habeat dies 354, sitque minor anno solari 11 diebus.

QUESTIO II. — DE AGNO PASCHALI EJUSQUE QUALITATIBUS.

Præcipit Dominus Moysi et Aaron *ŷ. 3*: *Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis, scilicet mediantibus senioribus, quibus vos præceptum meum insinuetis, quique etiam populo illud edicant; nam cœtum omnem congregari non fuisset passus Pharaon.*

Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum. Mandat Deus agnum paschalem quatuor diebus ante ejus immolationem induci in domum ejusque. 1. Ut totis istis quatuor diebus balatu ejus excitarentur Hebræi in spem proximæ liberationis, adeoque omnia sua pararent ad iter, ac de eo inter se colloquentes sese mutuo excitarent ad piam gratiarum actionem. 2. Quia ipsa 14 die, quæ erat immolationis, toti ad exitum se comparantes Hebræi, non habuissent otium agnum conquirendi. 3. Ut interea diligenter adverterent, utrum agnus ad sacrificium aptus esset, neque vitium aliquod aut macula interea se proderet. Mansit autem mos ille in posterum apud Hebræos, conquirendi singulis annis decima die agnum paschalem; ut tradunt S. Epiphanius Hæresi 50, Lyranus, Rupertus et alii, quamvis Pererius id tantum extendat ad hunc primum egressionis annum.

Hinc Dominus noster, verus agnus, etiam in se ipso voluit hanc legem observare, ut cum triumpho frondium et ramorum (prout solent hostiæ solemnes exornari) veniret Jerosolymam, post quatuor dies immolandus in cruce.

Dicitur autem: *Tollat unusquisque* (id est quilibet paterfamilias) *agnum* (hebraice habetur *Seh*, quæ vox significat pecudem tam ovinam quam caprinam; id est tam hædum quam agnum) *per familias et domos suas.* In eadem enim domo poterant esse plu-

res familiæ, quarum quælibet, si erat magna, suum habebat et comedebat agnum.

ŷ. 4: *Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum.* Judæi, inter quos Josephus lib. VII de bello Judaico, cap. 17, tradunt, præter feminas et pueros, per contubernia non pauciorum quam decem virorum, agnum comedi solitum: licet sæpe a viginti: unde ex numero hostiarum, scilicet ex agnis ducentis quinquaginta sex millibus, et quingentis, in Paschate immolatis, tempore Cestii præsidis, sub quo Romanis rebellare cœperunt Judæi, colligit Josephus numerum Judæorum, qui Jerosolymam confluerant, computando decem viros in singulos agnos, fuisse vicies centenorum et septingentorum millium, præter impuros: hi enim ab esu agni arcebantur.

Qualitates agni assignantur, dum dicitur *ŷ. 5*: *Erit autem agnus absque macula.* Hebraice habetur *Thamim*, id est integer sive perfectus; non enim macula hic accipitur pro variegatione coloris (poterant enim oves bovesque sparsi velleris offerri, non minus quam alii), sed agitur de macula deformitatis, v. g. claudicationis, scabiæ, alteriusve vitii aut morbi: hoc est enim quod de quolibet victima dicitur Lev. XXII, 22 et 23: *Omnis macula non erit in eo; si cœcum fuerit, si fractum, cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.*

Secunda qualitas agni erat, quod deberet esse masculus; quia hic præstantior est femella, præstantiora autem Deo sunt offerenda: vel etiam quia erat typus Christi Domini, qui nihil habet feminei, id est molle, fluxum et instabile.

Tertia qualitas erat, quod deberet esse annulus, ut scilicet annum unum ætatis non excederet: nam minor poterat immolari, modo octavum a nativitate diem attingisset; Lev. XXII, 27.

Quod vero additur: *Juxta quem ritum tolletis et hædum*: ita intelligendum est; si agnus desit, tollere poteritis hædum: non enim utrumque, sed alterutrum jubet Deus immolari, ut cum Theodoro passim explicant interpretes. In hebræo habetur: *Pecus perfectum, masculus, filius unius anni erit vobis, ex agnis et capris accipietis illud.* Ubi sicut et in nostro textu copulativa et pro disjunctiva vel accipienda est; neque enim Judæi unquam immolarunt utrumque. *Qua in re*, inquit S. P. Aug. Q. 42 in Exod., *Christus significari merito accipitur. Quid enim opus erat ovem vel agnum ab agnis et hædis accipiendum moneri, nisi ille figuraretur cujus caro non solum ex justis, verum etiam ex peccatoribus propagata est? Quanquam conentur Judæi etiam hædum intelligere accipiendum ad celebrandum Pascha, et hoc etiam dictum esse putant ab agnis et hædis accipi, tanquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hædis hædum, si illud desit, sumi oportere: apparet tamen in Christo, rebus impletis, quid illo præcepto fuerit figuratum.* Ita S. Pater.

QUESTIO III. — QUO MINISTRO ESSET AGNUS IMMOLANDUS.

Resp. et dico 1. Minister agni paschalis designa-

tur *ŷ. 6*, ubi dicitur: *Et servabitur eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel.* Quilibet scilicet paterfamilias domi suæ, totius familiæ nomine mactationem peragens, vel etiam reliquis, instar levitarum, adjuvantibus. Ordinarius igitur minister hujus sacrificii fuit paterfamilias: et quidem quod immolationem hanc in Ægypto factam attinet, nulla est difficultas; cum tunc temporis aaronici sacerdotes needum essent instituti. Sed quaeritur hic quid postea a Judæis factum sit, quando ingressi fuerunt terram promissam. Interim quod et tunc quilibet paterfamilias ex veteri privilegio fuerit istius sacrificii sacerdos, sustinent Marius, Tirinus, Lyranus, Jansenius, A Lapidè et alii contra Serarium et Tostatium. Et hæc sententia, utpote verisimilior, alteri præferenda videtur, atque

Prob. I. Quando Deus hic præcepit Hebræis, ut immolarent agnum paschalem, eundem immolari voluit per patresfamilias; ut liquet ex *ŷ. 6* jam cit. et adhuc clarius ex *ŷ. 21*, ubi dicitur Moyses vocasse omnes seniores (id est patresfamilias) filiorum Israel, et ad eos dixisse: *Ite tollentes animal, per familias vestras, et immolate Phase.* Atqui hoc privilegium, in Ægypto patribusfamilias concessum, non legitur ullibi postea fuisse revocatum aut abrogatum; ergo etiam institutis sacerdotibus aaronicis, patresfamilias manserunt quales antea fuerunt, nimirum ministri istius sacrificii.

Prob. II. Agnus paschalis debebat immolari luna 14 ad vesperam: atqui impossibile erat omnes agnos immolari in templo per sacerdotes; ergo, etc.

Prob. min. quia etiamsi sacerdotes et levitæ fuissent occupati usque in seram noctem (quemadmodum leguntur fuisse occupati II Paral. XXXV), tamen non potuissent immolare tot millia agnorum, quot necessarii erant pro millenis et millenis hominibus, qui singulis annis tenebantur ascendere Jerosolymam ad celebrandum Phase, præsertim tempore Davidis et Salomonis, quando regnum Israel fuit florentissimum, et populus numerosissimus, ergo impossibile erat omnes agnos paschales immolari per sacerdotes aaronicos; ac consequenter etiam post institutum sacerdotium aaronicum, patresfamilias ex veteri privilegio, sibi in Ægypto a Deo concessa, agnum paschalem domi immolabant.

Obj. I. Lev. XVII, 3, dicitur: *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit.* Ergo agnus paschalis non poterat immolari, nisi in templo per sacerdotes aaronicos.

R. Neg. conseq., quia in verbis objectis non agitur de oblatione agni paschalis, sed de aliis sacrificiis, quæ ex bobus, ovibus et cæteris animalibus mundis, in decursu anni, populus Deo immolabat; ut ex toto capite illo XVII satis clarum et evidens est.

Obj. II. I Esdræ VI, 20, munus immolandi agnum paschalem tribuitur levitis et sacerdotibus; nam postquam ibidem *ŷ. 19* dictum esset, quod filii Israel

fecissent pascha quarta decima die mensis primi, *ŷ. 20*, subjungitur sacerdotes et levitas purificatos fuisse, ad immolandum Pascha universis filiis transmigrationis, et fratribus suis sacerdotibus, et sibi. Ergo immolatio agni paschalis erat functio pertinens ad solos sacerdotes aaronicos.

R. Neg. conseq., quia rationes ob quas tunc agnus paschalis immolatus fuit a sacerdotibus et levitis, non habent locum, nec militant pro aliis temporibus: siquidem id factum est 1., quod tunc populus recenter ex captivitate babylonica redux, vel nondum esset purificatus, vel in ritibus et legibus de immolando agno (quæ tempore captivitatis facile potuit oblivisci) nondum esset sufficienter instructus; et sic conveniebat, ut agnus immolaretur a solis sacerdotibus et levitis. 2., cum tunc templum recenter esset reedificatum et dedicatum, et populus in eo magnam ageret lætitiã, ad majorem publicæ lætitiæ solemnitatem rursus conveniens erat, ut agni paschales a sacerdotibus et levitis immolarentur.

Sunt alii qui dicunt, quod loco objecto *Pascha* non agnos paschales, sed hostias omnibus diebus paschalis offerri solitas significet, quomodo et hæc vox accipitur Joan. XVIII, 28: attamen quia aperte notatur dies decimus quartus, quo (præter juge sacrificium) non solebant offerri aliæ hostiæ, quam agni paschales, priori solutioni potius inhærendum videtur.

Obj. III. Lib. II Paralip. XXX, 1, dicitur: *Misit quoque Ezechias ad omnem Israel et Judam: scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen, ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, et facerent Phase Domino Deo Israel.* Atqui domus Domini est ipsum templum; ergo agnus paschalis non in privatis domibus a patribusfamilias, sed in templo a sacerdotibus mactari debebat.

R. Neg. conseq.; nam Ezechias (uti etiam Josias ibidem, cap. XXXV) agnos paschales immolari voluit per sacerdotes et levitas, quod nempe plerique de populo (utpote tempore præcedentium regum in idololatriam relapso) purificati nondum essent. Quia igitur immolatio a mundis fieri debebat, ideo levitarum et sacerdotum ministerio peracta fuit. Patet hæc solutio ex *ŷ. 17*, cap. XXX, ubi dicitur: *Eo quod multa turba sanctificata non esset; et idcirco immolarent levitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino.* His enim verbis indicatur, ut bene observat Dionys. Carthus., quemlibet de populo, si nempe foret paterfamilias, potuisse immolare Phase, si videret mundus seu purificatus fuisset.

Obj. IV. Deut. XVI, postquam præcepisset Deus populo, ut singulis annis immolaret Phase, et celebraret solemnitatem Azymorum, adjungit *ŷ. 5* et *6*: *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum..., sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Atqui locus quem elegit Dominus Deus non est nisi tabernaculum vel templum; ergo Israelitæ, jam in terra promissionis existentes, non poterant immolare agnum

paschalem, nisi in tabernaculo vel templo, et consequenter immolatio non poterat fieri nisi a sacerdotibus aaronicis.

R. Neg. min.; nam per locum quem elegit Dominus, etc., non significatur solum tabernaculum vel templum, sed et ipsa urbs in qua tabernaculum erectum, et templum ædificatum erat; uti ex pluribus S. Scripture locis manifestum est; et quidem, 1. id manifeste constat ex loco objecto §. 7, ubi dicitur, quod Judæi deberent comedere agnum paschalem in loco quem elegerit Dominus Deus: jam vero non comederant agnum paschalem in templo, sed in urbe; uti liquet ex facto Christi: ergo, etc. 2. per locum, quem elegerit Dominus Deus, uti habitat nomen ejus ibi, ipsam urbem Jerusalem, in qua templum edificatum erat, designari, clarissimis verbis quoque exprimitur III Reg. XI, 56, ubi Deus per Ahiam Sionitem dicit ad Jeroboam: *Filius ejus* (Salomonis) *dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate quam elegi, ut esset nomen meum ibi.* Vide et Deut. XII, 11, XVII, 8, item XVIII, 6.

Verum quidem est, quod Deus voluerit et præcepit, ut (Hebræis jam in terra promissionis existentibus) non nisi uno certo in loco, scilicet ubi foret tabernaculum vel area aut templum, liceret immolare, aut edere agnum paschalem: tamen id non jussit fieri per sacerdotes aaronicos; sed privilegium hoc, utpote antiquius sacerdotio aaronico, reliquit juxta primævam suam institutionem, omnibus et singulis patribusfamilias, cujuscumque demum tribus vel conditionis essent, ut nempe illi in isto loco domus, vel in hospitio suo agnum immolarent et cum familia sua comederent.

Obj. V. Si quilibet paterfamilias fuisset sacerdos respectu agni paschalis, debuisset Christus illum mactare, cum esset paterfamilias suorum apostolorum; atqui Christus non mactavit agnum; ergo.

Prob. min. 1. Quia ut dicitur Matth. XXVI, 49; Marc. XIV, 16, et Luc. XXII, 8 et 14. *Petrus et Joannes paraverunt Pascha, scilicet jam mactatum in templo.*

Prob. min. 2. Quia agnus mactari debebat ante occasum solis; ut constat ex Josepho lib. VII de Bello Judaico, cap. 17, dicente: *Cam dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando a nona quidem hora* (id est a nostra tertia post meridiem) *usque ad undecimam* (id est usque ad quintam scilicet completam) *hostias cedunt, etc.* Atqui Christus tantum venit Jerusalem, dum jam sero erat et sol occubuerat; ergo, etc.

R. Neg. min., et ad primam prob. dico, ex verbis evangelistarum non sequi, quod Petrus et Joannes paraverint Pascha, jam mactatum in templo; sed quod omnia præparaverint quæ juxta Legem requirebantur ad ritum celebrandum Pascha, scilicet agnum, azyrna, conam, etc., qui agnus mox a Christo superveniente mactari potuit. Hinc ad prob. secundam nego min. scilicet quod Christus tantum venerit Je-

rosolyam post occasum solis; siquidem venit, ut habent Matth. et Marcus, *vespere facto*, id est sole jam declinante ad occasum, ac consequenter illo tempore, quo agnus immolari poterat, juxta illud Deut. XVI, 1: *Immolabis Pascha vespere ad solis occasum.*

Obj. VI. Josephus loco statim cit. scribit Cestium, cum Neroni vellet urbis Jerusalem potentiam exhiberi, mandasse sacerdotum principibus, ut, si fieri posset, numerum populi colligerent: illo vero, quia Pascha jam instabat, expectasse, et ex agnorum paschalium numero conjecisse numerum comeditum. Atqui istum numerum non potuissent conjicere, nisi ipsimet agnos mactassent; ergo, etc.

R. Neg. min., quia æque facile potuit numerus vicatim colligi per sacerdotes, citatis hostias non mactassent, ac si mactassent; ut rem bene consideranti satis patet.

Foret quidem jam etiam hic discutienda operosa et dudum disputata illa questio, an nimirum agnus immolari deberet ad primas, an vero ad secundas vespere lune 14. Sed cum hic omnimodis, qui de ea commodius agetur in Evang., ac proinde ibidem eam examinabimus et discutiamus, quando agemus de ultimo Christi Paschate.

QUESTIO IV. — QUÆDAM ALIA RESOLVUNTUR.

Pet. 1. quo ritu agnus immolari deberet.

R. Quod ritum atinet, 1. jugulabatur, et sanguine ejus aspergebantur postes et superliminaria (ut patet ex §. 7), ut, viso hoc sanguine, angelus percussus, domos illas Hebræorum transiliret, nec eorum primogenita percuteret.

2. Integer agnus, non dissectus (ne os aliquid hæderetur), caput cum pedibus et intestinis, ante tamen purgatis et exsecto felle, torrebatur.

3. Judæi comederant carnes ejus *asas igni*, et *asymos panes cum lacteis agrestibus*, ut habetur §. 8. Hebraice dicitur *cum amaris*, scilicet herbis amarulentis, ut exponit Chaldaeus.

4. Juxta §. 9 non poterant comedere *ex eo crudum quid* (sive prorsus esset tale, sive semiasatum; utrumque enim latitudo vocis hebraice complectitur) *nec coctum aqua; sed tantum assum igni*; quia citius assatur caro quam elixetur: Hebræis autem festinandum erat. Potissima ratio videtur petenda a mysterio, nam Christus verus agnus figurabatur, amoris igne assatus.

§. 10. *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane*, id est, ne profane comedi contingat, plane absumite.

§. 11. *Reus vestros accingetis*, etc.; omnia hæc festinationem indicant, suntque viatorum ad iter longum et laboriosum se accingentium; eodem spectat ceremonia haculorum qui manu tenendi, et calcamentorum quæ in pedibus habenda erant.

Est enim Phase (id est transitus) Domini. Phase hebraice Pesach, chaldaice Pascha, transitum, sive potius transitum significat, angeli nimirum, qui do-

mos Hebræorum transiliret et relinquebat intactas: et hic est primus transitus qui significatur nomine Phase. Secundus autem est Hebræorum ex Ægypto in Chanaan: et tertius eorumdem per mare Rubrum. Hunc tertium significari nomine Pascha docet S. P. Aug. Tract. 55 in Joan.; attamen hoc non obstante, duas priores significationes non excludit. Interim ex his significationibus prima et proxima est angeli vatoris transiens Hebræos, cui succedit altera de mari Rubro, finaliter autem significatur transitus de Ægypto in Chanaan, et hæc significatio innuitur Deut. XVI, 1. Allegorice representatur transitus Christi de terra ad cælum, ut nos a peccato ad gratiam, et ab hoc mundo ad cælum transiremus. Plura desuper videri possunt apud A. Lapide.

P. 2. quomodo dicitur §. 17 dies iste custodiendus sive observandus ritu perpetuo.

R. cum S. P. Aug. Q. 43 in Exod.: *Aut sic appellavit æternum, quod non sua sponte audeant desinere celebrare* (sed quem ritum servarent, donec Deus ipse abrogaret legem, ritum immutando), *aut ut non ipsa signa rerum, sed res quoque ipsa significantur æternæ intelligantur, scilicet azyma sinceritatis et veritatis.*

P. 3. quo sensu dicitur §. 31, quod (completa strage primogenitorum) Pharaeo vocaverit Moysen et Aaron, eosque egredi jussit, cum tamen cap. X, 29, Moyses dixerit ad Pharaonem: *Non videbo ultra faciem tuam.*

R. Nonnulli ista verba: *Non videbo*, etc., sic exponunt: Sponte te non amplius accedam, neque liberationem populi urgebo, sed tu me potius videre desiderabis, quando in proxima et ultima plaga primogenitorum nos exire compelles. Unde ad illud quod hoc cap. dicitur, nempe Pharaonem surrexisse et vocasse Moysen, respondent verisimile esse quod ipsemet Pharaeo tanta strage percussus, timensque pejora, surrexerit ut Moysen adiret, quem suaviter quiescentem domi sue inveniens, vocando excitavit, dixitque: *Surgite, egredimini*, etc.

Alii, qui verba Moysis: *Non videbo*, etc., rigorose sumunt, arbitrantur quod post hæc Moyses Pharaonem non amplius vidit, et illa verba hujus cap., §. 31, *Vocavitque Pharaeo Moysen et Aaron nocte*, etc., sic esse intelligenda existimant, ut Pharaeo, missis ad Moysen aulicis et regi proceribus, Hebræis non solum plenarium fecerit facultatem exeundi cum omnibus ad se pertinentibus, sed ad promptissimum exitum provocaverit. Itaque juxta hæc explicationem Pharaeo non per semetipsum, sed per proceres suos vocavit Moysen et Aaron, ac dixit: *Surgite*, etc. Et quidem hic modus conciliandi utrumque jam præcitur. Scripture textum videtur plausibilior: quandoquidem in ipsa Scriptura fundetur: nam cap. XI, 8, Moyses dixit ad Pharaonem: *Descendent omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me dicentes: Egredere tu et omnis populus qui subjectus est tibi.*

CAPUT XIII.

Subet Deus in gratiarum actionem pro cæsis Ægyptio-

rum primogenitis, sibi sanctificari et offerri primogenita Judæorum, tam in hominibus, quam in jumentis; eosque deducit non per Philistinam, sed per viam deserti. Hebræi secum efferunt ossa Joseph, eisque dux itineris est columna nubis et ignis.

QUESTIO PRIMA. — QUID SIBI VELLET LEX DE SANCTIFICANDIS PRIMOGENITIS.

Vers. 1: *Locutusque est Dominus ad Moysen*, ipsa scilicet egressionis die, vel adhuc Israelitis existentibus in Remesse, vel saltem castris jam stantibus in secunda statione Socoth.

§. 2: *Sanctifica mihi omne primogenitum* (supple masculinum ex §. 12) *quod aperit vulvum*, id est quod primo matris utero reserando, naturali more in lucem hanc egreditur, quodque est principium generationis maternæ.

Dicuntur autem primogenita Deo sanctificari, dum separantur ab usu communi, ut dentur et offerantur vel applicentur ad ejus cultum: omne enim quod ad Dei cultum applicatur, dicitur directe vel indirecte sanctificatum; sic dies sabbati sanctificata dicitur, id est, ad Dei cultum applicata; quia in illa die magis quam in aliis, vacatur divino cultui. Itaque vi hujus legis omnia primogenita ab usibus humanis removenda, et ad Dei cultum applicanda erant, sive essent immolabilia, quæ directe Deo applicantur, dum immolantur, sive non; quia alia primogenita, quæ per se et directe non applicantur Deo, applicantur indirecte et mediate seu per alterum, ut primogenitum asini quod commutatur ove.

Dico 1. Non præcipit hic Deus, ut ista primogenitorum sanctificatio et in obsequium suum segregatio fiat illo tempore, quo omnes occupati erant in egresu; sed ut fiat postea, cum opportunum fuerit, videlicet cum possiderent terram Chanaan; ut patet ex §. 11 et 12: subnectit tamen Deus hæc legem præcepto immolandi agnum paschalem: quia sicut agni immolatio, ita et primogenitorum oblatio Hebræis jugiter renovare debebat memoriam liberationis ex Ægypto: hæc enim efficit et procuravit Deus per eandem primogenitorum totius Ægypti. Quia ergo tunc Deus occidit primogenita Ægypti, ut Hebræos quasi primogenitos suos inde liberaret, et quia tunc intacta servavit primogenita Hebræorum habitantium in Ægypto, hinc hæc lege eadem sibi offerri, ac quasi sua et a se conservata sibi reddi posset. Unde hæc agni æque ac primogenitorum oblatio sunt primæ legis moysaice ceremoniæ.

Dico 2. Ex præc. §. 2 patet, non paternum primogenitorum, sed solum maternum offerendum fuisse Deo. Hinc ex vidua quæ ante pepererat susceptus filius, vel ex non vidua, sed quæ femellam ante pepererat, non erat Deo offerendus; quia non ipse, sed alia præcedens proles vulvam matris aperuerat. Qui tamen plures (uti tunc licitum) habebat uxores, debebat singularum uxorem primum fetum, si masculus erat, Deo consecrare.

Dico 3. Præfata lex proprie non comprehendit Christum Dominum: ille enim nascens non reseravit